



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Altmannus Abbas XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

locum damus Hermannō Episcopo Bambergensi, Monasterii olim nostri Religioso, qui nobis & vineas complures, & prædia dono dedit, postea nostro in Monasterio sepultus. Hujus vestigiis insistebant Udalricus Præpositus Imperialis Ecclesiæ Bambergensis, Ludovicus de Castell, Ludovicus de Breid, Egenhardus de Zeletshausen; qui, dum erga nos id temporis tam misericordes fuerunt, misericordiam & ipsi fuerint procul dubio consecuti.

### BURCKARDUS ABBAS XI.

Successorem Eggebertus habuit Burckardum anno Domini 1076. virum pietate in Superos, charitate in inferiores, studio propagandæ Dei gloriæ, & administrandi ritè Monasterii insignem; ejus gubernacula tenuit annos 20. quibus elapsis viam universæ carnis ingressus est anno 1096.

### ALTMANNUS ABBAS XII.

Abbati duodecimo Altmanni nomen erat; qui anno 1096. ad hanc dignitatem evectus Monasterii sui salutem animo ità complexus est, ut præter commoda alia ab ipso nostrum in Monasterium profecta magnam præclarissimorum librorum



brorum copiam describi curaret. Ad illum Erlungus Episcopus Wirceburgensis ortâ inter cives seditione urbe & cathedrâ pulsus confugit, nostro deinceps in Monasterio humatus. Altmanus ætate & meritis gravis diem extremum obiit anno 1113.

## RUPERTUS ABBAS XIII.

Abbatis dignitate condecoratus fuit anno 1113. anno autem à suscepto regimine altero emit à comite de Gerlachshausen omnia ejusdem bona, eâ lege, ut ad mortem usque de necessariis vitæ alimentis Abbas noster Comiti provideret; certam singulis annis vini, cerevisiæ, carniûmque portionem subministrando: neque pænituiffe Comitem venditionis hujus indè colligimus, quòd Parochiam Gerlachshausen nostro Monasterio sponte suâ adjunxerit. Præterea tempora Ruperti Abbatis non parùm illustrat insigne miraculum, quod nostro in Monasterio contigisse annales perhibent. Hominem fuisse memorant à puero usu linguæ captum: is, dum pridie festi omnium Sanctorum Vesperas in Ecclesia decantari audiit, conceptâ subitò magnâ fiduciâ se in